

Quinque sunt totius Liturgiæ materiæ proponendæ Tractatus.

- 1^o Tractatus de Officio divino seu de Horis Canonicis.
- 2^o Tractatus de Rubricis Missalis Romani.
- 3^o Tractatus de Celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii.
- 4^o Tractatus de administratione Sacramentorum, et de Sacramentalibus.
- 5^o Cæremoniale, seu Manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas.

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE OFFICIO DIVINO SEU DE HORIS CANONICIS

Conspectus materiæ

Tota materia de Officio divino quatuor absolvitur partibus.

In prima parte agitur de Officii divini nominibus, origine et elementis.

In secunda dicitur de Breviario Romano ejusque præludiis.

In tertia solvuntur Quæstiones in Rubricas generales Breviarii.

In quarta proponuntur Cæremoniæ servandæ, præsertim cum Officium divinum solemniter cantatur.

PARS PRIMA

DE OFFICII DIVINI NOMINIBUS, ORIGINE ET PARTIBUS

CAPUT I

De nomine et origine Officii divini

Q. 16. *Quid est Officium divinum?*

R. Officium divinum est publica principalis oratio, quæ ab Ecclesiæ ministris nomine totius cœtus fidelium quotidie funditur.

Dicitur **Officium**, scilicet debitum obsequium, seu tributum, seu pensum; — **divinum**, vel quia a personis Deo dicatis persolvitur: propter Deum enim laborem istum sanctum subimus, tamquam homines servituti Ejus devoti; vel quia ejus finis et medium est laus, et gloria supremæ divinæ Majestatis.

« Divinam Psalmodyam sponsæ consolantis in hoc exilio absentiam suam a sponso cœlesti, decet esse non habentem rugam neque maculam; quippe cum sit ejus hymnodicæ filia, quæ canitur assidue ante sedem Dei et Agni, ut illi similior prodeat, nihil, quantum fieri potest, præferre debet, quod psallentium animos, Deo ac divinis rebus, ut convenit, attentos, avocare alio ac distrahere possit. » (Bulla Urbani VIII, 26 Januarii 1631.) Ex præclaris istis verbis innotescit, quænam sit sacræ Psalmodyæ seu Officii divini in Ecclesia catholica præstantia, et quam gloriosum munus et cœleste sacerdotibus incumbat, qui e multitudine electi fuerunt, ut Deo quotidie impendant illud Sacrificium laborum, de quo ipsa Ecclesia in Hymno qui dicitur ad Laudes in Dedicatione Ecclesiæ dicit:

« Sed illa sedes cœlitum — Semper resultat laudibus, — Deumque Trinum et Unicum — Jugi canore prædicat: — Illi canentes jungimur — Almæ Sionis æmuli. »

Q. 17. *Quibus nominibus sæpe designatur Officium divinum?*

R. 1^o Officium divinum in regula S. Benedicti vocatur regulariter **Opus Dei**, et in variis antiquis monumentis **Opus divinum**, quæ verba idem important quam Officium divinum; — 2^o antiquitus sæpe dicebatur **Cursus**, vel a cursu solis qui orationis horas dirigit, — vel quia, ut hujus orationis expleatur præceptum, psalmorum lectionumque copia legendo et cantando percurritur; — 3^o **Synaxis** nominatur, quia ad illud canendum regulariter conveniunt pui ad illud tenentur, qua de causa etiam **Collecta** nuncupatur; — 4^o **Officium horarum precum** vocatur, itemque **Horarum canonicarum** nomen sortitum est: **Horarum**, quia certis diei horis persolvitur, **canonicarum**, quia per Ecclesiæ leges quæ **Canones** appellantur fuit constitutum; — 5^o **Breviarium** cœpit appellari ab eo tempore quo contractum seu abbreviatum fuit: verum in veriori sensu Breviarii nomine divinum non venit Officium, sed magis liber seu codex in quo continetur.

Q. 18. *Quibusnam ex elementis constat Officium divinum?*

R. I. Officium divinum materialiter sumptum constat ex **Psalmis**, ex **Lectionibus** et ex **Orationibus**.

1^o Ad Psalmodyam pertinent præter Psalmos etiam **Antiphonæ**, **Versus** et **Absolutiones**; — 2^o sub **Lectionum** nomine disponuntur **Lectiones** ipsæ cum suis **Responsoriis**, tum etiam **Capitula** cum **Responsoriis**,

et **Hymni**; — 3^o **Orationibus** intelliguntur speciatim ipsæ **Orationes** quæ **Horas** concludunt, **Preces** quæ quandoque **Orationibus** præmittuntur, **Sanctorum Suffragia**, et finaliter **Antiphonæ Beatæ Mariæ Virginis**.

II. Juxta formam qua istæ materiales partes in Officio divino disponuntur, constat Officium divinum pluribus **Horis**, seu statutis pro oratione diei momentis, quibus toti diei imprimatur religiosa quædam consecratio. — **Horæ** distinguuntur septem numero: **Matutinum**, **Prima**, **Tertia**, **Sexta**, **Nona**, **Vesperæ** et **Completorium**.

Q. 19. *Indica usitatam apud antiquos diei noctisque artificialis divisionem, qua perspecta fiat diversarum Horarum institutio.*

R. Artificialis dies ille est qui cursu solis ab ortu ad occasum definitur, cui contraria est nox ab occasu solis ad ortum. Antiqui tam diem quam noctem in duodecim horas (æquales inter se, inæquales vero in se, id est longiores vel breviores juxta dierum et noctium longitudinem vel breviterem) dividere consueverunt, quam distributionem sequitur Ecclesia in **Horis canonicis**. — Sic diei hora prima dicitur, cum post solis ortum duodecima diei pars exacta est; hora tertia, cum quarta pars; sexta hora, cum pars media; hora nona, cum diei tertia quarta pars effluxit. **Horæ** autem tertia, sexta et nona, etiam in rebus humanis erant insigniores, et diei partes quatuor distinguere, ac negotia distribuere solebant.

Ita quoque duodecim noctis artificialis horæ in quatuor partes dividebantur, quarum quælibet tribus constabat horis, et vigilia dicebatur: tres erant vigiliæ nocturnæ, ad tertiam, ad sextam, ad nonam noctis horam; quarta vigilia, ab hora nona seu gallicinio usque ad ortum solis, dicebatur vigilia matutina, seu antelucanum.

Ex hac diei et noctis in quatuor partes divisione eruitur ratio divisionis Officii in plures **Horas**: voluit enim Ecclesia, ut qui divino famulatu specialiter sunt consecrati, quolibet ternario horarum, debitum Deum prosequerentur gratiis, illumque per psalmorum et laudum divinarum repetitionem hisce statutis horis glorificarent.

Q. 20. *Quandonam singulae ex septem Horis ad recitationem Officii divini fuerunt instituta?*

R. Prænotatur quod statuta precum tum diei, tum noctis momenta jam in Sacris Scripturis indicantur; etenim certas horas oratione sanctificare jam in Veteri Testamento solemne et usitatum erat. In Libro I Paralipomenon (Cap. XXIII, v. 30) Levitis injungitur « ut stent mane ad confitendum et canendum Domino: similiterque ad vesperam. » Et in Psalmo CXVIII, Psalter dicit v. 164: « Septies in die laudem dixi tibi »; et v. 62: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Ex Actibus Apostolorum constat quod horæ tertia, sexta et nona diei erant horæ orationis; item quod oratio nocturna sanctificata exemplo Christi Domini (Luc. Cap. VI, v. 12) usitata his temporibus erat. « Erant omnes pariter in eodem loco..... hora diei tertia » (Act. Cap. II, v. 1, 15). « Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam » (Ib. Cap. X, v. 9). « Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam » (Ib. Cap. III, v. 1). « Media autem nocte, Paulus et Silas, orantes, laudabant Deum » (Ib. Cap. XVI, v. 26).

Ad positam quæstionem responderi potest summam: Vigiliæ nocturnæ, institutæ tempore persecutionum, servabantur primitus in quibusdam tantum solemnitatibus, sed Romæ sæculo V jam reperiuntur singulis noctibus servatæ.

Prima introducta fuit sæculo IV exeunte, apud monachos Palestinæ, tamquam oratio matutina post requiem dictis Laudibus Matutini concessam.

Ab ipso sui exordio Ecclesia, quæ in orando fuerant Apostolis solemniore horæ, Tertiam, Sextam et Nonam, inde vocatas Apostolicas, orationis dicavit exercitio, privato potius tamen tantum; publici enim conventus quotidiani in Ecclesia his horis ante sæculum tertium regulariter non introducti videntur.

Vesperarum officium primitus initium videtur fuisse Vigiliæ nocturnæ, et sæculo VI primum separatum a Matutino et distinctum reperitur.

Constitutiones Apostolicæ sex horas diurnas jam commemorant: « Precationes facite mane, tertia, sexta,

nona hora, vespere, et in gallicantu. » (Lib. 8, Cap. XXXIV). Hora cantus gallorum nuntiat adventum diei, ad facienda opera lucis.

Completorii tandem in Occidente primus institutor videtur fuisse S. Benedictus († 543).

Sæculo VI Romæ efformari cœpit regularis nocturnus atque diurnus cursus, qui sæculis VII et VIII in Basilica S. Petri ad expletam formam perfectus, inde ad orbem Catholicum mox propagatus fuit, et ad nos usque in sua eximia forma, mutatis successu temporis particulis, pervenit.

(Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*. Paris, 1893; U. Chevalier, *Poésie liturgique*. Tournai, 1894; Duchesne, *Origines du culte chrétien*. Paris, 1889.)

CAPUT II

De partibus Officii divini speciatim

SECTIO I

De elementis Officii materialiter sumpti

ARTICULUS I

De partibus seu elementis quæ pertinent ad Psalmodyam

§ I. PSALMI

Q. 21. *Quisnam dicitur ecclesiasticus ordo Psalmorum in Officio divino? Explica.*

R. Prænotatur: Psalmi potissima semper fuerunt Christianarum precum pars: in id enim semper intenti fideles fuerunt, ut e Scriptura peterent preces ad Deum fundendas, eumque laudarent ea ratione quam Spiritus sanctus divinitus inspiravit. Complures totum Psalterium quotidie recitabant. (Cfr. Lectio VI Officii in Festo S. Patritii, 17 Martii.) Ea de causa etiam Ecclesia diei noctisque Officium præsertim ex Psalmis